DE
AVCTA
PER ADVENTUM CHRISTI IN CARNEM LITTERARUM DIGNITATE

DISSERENS,
AD
NATALEM
GYMNASII DRUSICI

DIEM, S. P. Q. E. VERE SALUTAREM,
CRAS
VOLENTE DEO!
D. XXX. NOV. A. MDCCXLVII. HORA A IX. MAT.
CELEBRANDUM,
PRÆSTANTISSIMOS
CIVITATIS MODERATORES,

OMNESQVE
SEMINARIUM PATRIUM
MAGNI
ÆSTIMANTES

QVAM HONESTISSIME, QVAMQVE OFFICIOSE
INVITAT

IOANNES LANGIUS,
RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGÆ,
LITTERIS PREUSSIANIS.

Qvamvis qvæ de artium liberalium ortu atque progreſſu legimus, lubrico plane & incerto, niſi conjecturis nimium dare velis, nitantur fundamento, *a)* & extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, qvod qvo longius a præſenti recedimus ætate, eo major appareat ſimplicitas; *b)* attamen nec primam canamqve mundi ætatem omni eruditionis deſtitutam fuiſſe ornatu, nec ſeculo, nativitatem Chriſti præcedenti, laudem illius denegari poſſe, qvid qvam certiſſimum judicatur. Litteras enim omni tempore in deliciis fuiſſe, ſuosqve ſemper habuiſſe & cultores & promotores, Perſarum Magi, Indorum Bramanes, Græciæ Sapientes, Gallorum Druidæ aliiqve nos docent, Palladii litterarii cuſtodes & conſervatores. Qvanqvam vero artibus humanioribus ſua ſemper conſtitit laus, honor ſuus, illis tamen ex ſplendidis Salvatoris natalibus multum acceſſiſſe dignitatis atqve commendationis, non eſt qvod dubitemus.

Qvodſi enim experientia teſte Eccleſiæ ſacræqve doctrinæ conditionem eruditionis & litterarum ſemper ſecuta eſt ratio, *c)* cui potius tempori qvam N. Fœderis? aut qvando magis litteræ ad auctam perductæ ſunt dignitatem, qvam cum cœlo demiſſus ad multiplicandos cognitionis theſauros in carne appareret Meſſias. Sicuti enim ob donorum virtutumqve præſtantiam, qvibus humana Chriſti natura in ſe ſpectata inſtructa

a) conf. Heumanni conſp. Reipubl. litter. c. III. §. 2. & Acta Philoſ. P. V. c. I. §. 23 - 34.

b) vid. die deutſchen acta Erudit. P. X. p. 874. in not. *

c) teſte Buddeo in Iſagoge. Theol. Lib. II. c. VI. §. VII. p. 942. a.

structa fuit, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, imo omnes sapientiæ & cognitionis divitiæ in eo latent, *d)* ita non revelationi modo voluntatis divinæ, sed scientiæ qvoqve rerum humanarum lucem facemqve accendere, eamqve commendatiorem reddere, potuit solus. Haud exigua hinc eruditionis & sapientiæ fuit dignitas, qvod affirmante Scriptura S. (Evangelium enim infantiæ, *e)* fabulis nugisqve repletum, hic nihil moramur,) non modo in illa profecerit Salvator, *f)* sed infans adhuc Judæorum Synagogas freqventaverit, dissertationibus Eruditorum interfuerit & ignorantiam pellendo, erroresqve emendando Doctorum se præbuerit Doctorem. *g)* Qvæ enim cœli conditio est, ut sole sideribusqve præsentibus reniteat, eadem qvoqve litterarum indoles, ut illius adventu, qvi omnis scientiæ atqve cognitionis auctor habetur, ipsarum artium augeatur splendor honorqve.

Adhæc qvæ adventum Christi excepit larga Spiritus Sancti effusio, litterarum dignitatem æqve ac Salvatoris adauxit nativitas. Stupendo enim lingvarum miraculo, diversoqve sermone exornati Apostoli cum omnibus, cujuscunqve nationis homines nacti essent, mentem suam communicare, & dum hactenus non nisi vernacula usi erant, jamjam Asianos asiatice, Aegyptios ægyptiace alloqvi poterant. *h)* Dum itaqve sermonem, optimum societatis humanæ conservandæ vinculum & eruditionis tradendæ vehiculum, medium qvoqve propagandæ voluntatis divinæ necessarium Altissimus judicavit, voluit insimul, ut omni cognitione, omnibus-

d) Col. II, 4. 9.

e) de qvo, ab *Henr. Sike* Trajecti ad Rhenum arabice & latine *edito*, legi meretur D. *Abrah. Hinkelmanni præf. ad Alcoranum.* Lit. C. fac. b.

f) vid. *Joh. Mich. Langii diss. de profectibus Christi adolescentis.* ad Luc. II, 52.

g) conf. *Buddei prolusionum festarum medit. prima de Infante Doctore*, ad Jes. XXX, 20. qvæ leg. in dissert. theolog. Syntagmate primo.

h) vid. *Seb. Castal.* annot. ad Act. II, 4. &c. & Lindhammers Erkl. der Apost. Geschicht ad l. c.

qve lingvis, hucdum ignotis, non temere nec Fanaticorum more, sed habita insimul eorum ratione, in qvos incidebant, Spiritu Sancto lingvam illorum moderante, in prædicando Evangelio Apostoli verbiqve divini præcones uterentur.

Qvæ litteris inde dignitas, qviqve splendor, qvod media propagandæ Ecclesiæ paria, easdem voluit divina providentia. Qvantus vero revelationem inter Scripturæ S. & scientiarum cognitionem intercedat concentus atqve nexus, dum felix illius successus ex harum dependet conditione, facilis est conjectura. Qvæ enim reformationis tempore orbi erudito contigerunt, ut Erasmi, Reuchlini aliorumqve *i)* opera & indefesso studio in dies magis magisqve & pleno veluti jubare exsplendescerent Musæ mansvetiores, vinculis barbariei sensim liberatæ, eadem artibus Salvatore nato accidit laus, idem honos, ut qvæ Oratoribus & Pöetis gentilium fuerunt, scientiæ, nobilitatæ & usui Ecclesiæ accommodatæ, aliam plane præ se ferrent faciem, omnem Socratis, Platonis, Aristotelis, aliorumqve sapientiam multis numeris superantem.

Non eqvidem negamus, multos ante Christi tempora exstitisse, qvos doctrina liberalis & artes humaniores, a philosophicis rebus maxime petitæ oblectarunt, qvorum testimonia Cicero, *k)* Vell. Paterculus, *l)* A. Gellius *m)* afferunt, ex multis probatissima: imo inter Judæos qvoqve משכילים בכל חכמה eruditos omni sapientia, ויודעי דעת & scientes scientiam viguisse qvondam, ex Daniele *n)* constare; attamen eruditionis faciem in œconomia N. T. multis modis præstare illi, qvæ ante Christi floruit tempora, qvis est qvi neget?

i) conf. *Wilischii progr. de Luthero, restauratore rei schol. solertissimo. & Reineccii progr. de Melanchtonis in scholas meritis.* vid. *Sel. Schol. Vol. II.* Fasc. I. p. 203. & 221.

k) *in orat. pro Archia.*

l) I, 13. 3.

m) XIII, 16.

n) c. I, 4.

neget? Ne dicam cel. Walchium, magni nominis in Salana Theologum, omnino dubitare, *o)* litteras, ad generalem modo referendas eruditionem, in eruditionis veræ, ad felicitatem S. B. per ſe & natura ſua adſeqvendam idoneæ, cenſu habere. Non qvidem illorum ſententiæ, *p)* ac ſi absqve gratioſa illuminatione & converſione nulla plane eruditio locum habeat, calculum adjicimus, interim magnam litteras in ultimis diebus, ut Prophetarum, N. T. tempora delineantium, verbis utar, *q)* præ illis, qvæ primis floruerunt mundi annis, mereri prærogativam, qvilibet facile concedet. Unde vero hæc dignitas, hæcqve nobilitas, niſi adventanti in carnem Meſſiæ, felicitatis auctori & mediorum ad ſalutem impetrandam promotori, illud encomii concedere velis. Sicuti enim luci voluntatis divinæ, qvæ in œconomia N. T. ſplenduit, lucem addidit majorem Meſſias, in mundum veniens, omnium animos colluſtraturus, ita litterarum dignitati dignitatem, honori honorem adpoſuit ſplendidiorem Sapientiæ ſubſtantialis homines inter præſentia.

Obſcura hactenus in oraculis divinis luci cedunt majori, ſplendori melioris cognitionis locum admittentia. Qvippe qvæ de vaticiniis V. T. ſatisqve Eccleſiæ loqvitur ſanctæ eruditionis pars, adimpleta, uberiorem præſtantioris notitiæ exhibet meſſem, in dies augendam, multiplicandamqve.

Imo qvæ affirmante Plinio *r)* ſideribus natura eſt, ut parva & exilia validiorum exortus obſcuret, ſimiliter omnem Apollinis, litterarum Antiſtitis, dignitatem ab ambiguis dubiisqve oraculorum gentilium verbis pendentem, adventus Chriſti in

o) in hiſtoria critica latinæ lingvæ, p. 521. & qvidem c. I. de genuina litterarum humaniorum in ſole.

p) qvam fovet alios inter b. Joachimus Langius in inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis.

q) Jeſ. II, 2. ut Petrus dicit Act. II, 17. ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις. Qvam loqvendi formulam Joel c. III, 1. per אחרי־כן exprimit.

r) in *Paneg. Traj. dicto.* c. XIX.

carnem inumbravit. Qvamvis enim ſub Auguſti auſpicio, qvo imperante Salvator noſter homo apparuit, non omnibus ſtatim ethnicorum oraculis ſilentium ſit impoſitum; qvippe ſecundo adhuc poſt C. N. ſeculo Delphici Apollinis vates reſponſa dediſſe conſtat, *s)* interim in propatulo eſt, oraculorum ſedes & delubra, Evangelii doctrina orbem illuſtrante, ſenſim inclinata eſſe, tandemqve prorſus defeciſſe.

Hæc vero dignitas, qvæ ex incarnatione Chriſti litteris obtigit, non eo usqve extendenda eſt, ac ſi ſummam nactæ perfectionem, ad majorem adſcendere neqveant honorem. Nos enim aliqvatenus ſaltem ſcire & aliqvatenus vaticinari, ac non niſi per ſpeculum perqve ambages cernere, divus gentium Apoſtolus teſtatur. *t)* Nonne qvæ qvotidie fere in omnibus ſcientiarum partibus ab ingeniis ingenuis proferuntur inventa, novum eruditioni, imperfectæ hucdum, addi augmentum pondusqve loqvuntur? Nonne per omnem litterarum ambitum multa adhuc inveniri dubia, obſcura, ignota, vel mediocriter ſaltem in artibus imbutus concedet humanioribus? Lychnum ſoli accenderem, vel verius actum agerem, ſi ad declarandam ſcientiarum imperfectionem, plura addere vellem.

Qvamvis vero hæc eruditionis noſtræ facies ſit, artiumqve conditio, miram tamen eorum veſaniam eſſe judicamus, qvi cum alias curis ſuis atqve laboribus nec finem nec modum ſtatuant, ut dignitates qvasdam aut honores, aut qvæ alia mundus hicce ad incautos decipiendos oſtendit, conſeqvantur, ſe eam contra, qvæ litteris, ſtudio & ſudore acqvirendis ineſt, dignitatem ſusqve deqve habere, publice profitentur. Laborat hoc vitio illa Fanaticorum & Qvackerorum caterva, qvæ ab interno qvodam lumine omnia expectans, eruditionem litterarumqve ſtudia magno rejicit atqve contemnit ſu[illegible]

lio.

s) vid. *Gisb. Voetii* Tom. II. *diſput. ſelect.* p. 597. & *Ant. v. Dalen diſſ. II,* de *oraculis ethnicorum.* c. VII. p. 559. &c.

t) I Cor. XIII, 12.

lio. *u)* Qvibus ſane facem prætulit Caroloſtadius ille, qvi ruinas & decrementa ſcholis machinans, intempeſtivo adverſus litterarum ſtudia flagravit zelo, qvemqve alii ſecuti iniqvum erga artes liberales prodiderunt animum. *w)* Magnus omnino eruditionis litterarumqve apud homines, vera pietate deſtitutos abuſus, (qvippe qvo qvis ſæpe doctior, eo deterior & ab omni virtute alienior videtur,) eos adduxit, ut tam iniqvo in litteras eſſent animo, illas plane ſpernentes. Aſt perverſam cœcitatem, temeritatemqve deplorandam! qva qvi ceteroqvin ſapientiſſimi ac prudentiſſimi eſſe cupiunt, media vera, ad ſapientiam & felicitatem mortales adducentia, odio proſeqvuntur plus qvam vatiniano.

Licetſi itaqve litterarum dignitas non apud omnes hodie in pretio ſit atqve deſiderio, & G. Budæo teſte, *x)* eruditionis veræ æſtimatio, proh dolor! jaceat, magno tamen ELBINGÆ cedit honori, qvod non modo a primis Civitatis incunabulis litterarum coluerit Fautores, qvi Muſis ſedem, ſangvinem, vitamqve conceſſerunt, ſed hodienum adhuc ſuos veneretur Mæcenates & Promotores ſuos. Ille enim, in qvo verſamur, temporis articulus, encæniis Gymnaſii celebrandis deſtinatus, in memoriam nobis revocat, qvantum DEO, qvantum PATRONIS pro beneficio in condendo & conſervando Patriæ Seminario, Majoribus nobisqve exhibito, debeamus.

Merito autem feſtivitatis hujus ſolemnia more patrio illi temporum concedimus periodo, in qva adventum Chriſti in carnem, ex qvo hominum ſalus & litterarum dignitas promanant, Eccleſia meditatur. Sororium enim eccleſiaſticæ doctrinæ & inſtitutionis ſcholaſticæ vinculum, ad unum norunt omnes.

u) vid. *Croeſii hiſt. Qvack.* L. II. p. m. 384. 385.

w) conf. *Vitus Lud. Seckendorfius in hiſtoria Lutheraniſmi.* L. I. §. CXXI. addit. II. p. 198.

x) Lib. I. *de Philologia, apud Crenium in informatione & educatione* litteraria. pag. 90. ſ.

omnes. Hinc ſuas DEO benigniſſimo & Chriſtianorum cœtus & ſchola grates agunt Druſica, ille pro regni gratiæ, hæc pro Muſarum conſervatione; Ens ſupremum qvam devotiſſime invocantes, ut Curiam, almam Gymnaſii Nutricem, Eccleſiam, Amicam conjunctiſſimam, Seminarium, prolis litterariæ domicilium, omnemqve Civium coronam ad ſeros usqve annos ſartam atqve integram conſervare velit.

Id qvod cum publice peragere pietas exigat, votaqve conjuncta ad DEUM miſſa gratiora eſſe conſtet, VOS, GRAVISSIMA CIVITATIS LUMINA & COLUMINA, PERILLUSTREM, PER-MAGNIFICOS, GENEROSOS & AMPLISSIMOS REIPUBLICÆ PROCERES, DN. DN. BURGGRABIUM, PRÆSIDEM, PRÆCONSULES, CONSULES, PATRIÆ PATRES, PATRONOS & NUTRITORES, omni qva fieri poteſt veneratione COLENDISSIMOS; nec non EXPERIENTISSIMOS, PLURIMUM REVERENDOS, CLARISSIMOS, PRÆNOBILES, NOBILES, SPECTABILES, HUMANISSIMOSQVE LITTERARUM FAUTORES & AMICOS, perqvam HONORANDOS, enixe rogamus, ut Cœtus ſcholaſtici pietatem, qvo DEO pariter ac VOBIS debitas rite perſolvat grates, præſentia Veſtra honorificentiſſima accendere dignemini, haud ignorantis, eo majorem Muſis deberi dignitatem, qvo majus ex Salvatoris in carnem adventu & Patronorum benevolentia in illas redundat gaudium ac emolumentum. P. P. Elbingæ. d. XXIX. Nov. A. P. C. N. MDCCXLVII.

(o)

Die
MODE
als ein
ORACUL
willkührlicher Handlungen.

Der Vorredner.

ADAMUS HENRICUS RHODE redet von der Kunst sich glücklich zu machen und eröfnet nach schuldigster Bewillkommung der resp. Höchst= und Hochgeneigten Anwesenden den Inhalt des Actus.

* * *

JO. DOMINIC HECHT stellet unter dem verkapten Namen Günther einen Reisenden vor, welcher sich nach langer Unruhe in die Ruhe begeben und in derselben unter andern mit der Betrachtung: wo doch die Veränderung in den willkührlichen Handlungen der Menschen herkomme und wie die Ursache derselben zu nennen sey? sich beschäftiget. Worauf

Ch. I.

diese Frage untersuchen und sie mit dem Namen der Mode belegen

Johann Daniel Hoffmann,	Christian Heinrich Rausch,
Christian Gottl. Schmidt,	Johann Schmidt,
Johann Gottfried Schmidt,	Daniel Wilhelm Vorloff,
Christoph Silber,	Johann Sigismund Boencke,
Johann Heinrich Friederich,	Christian Daniel Egidius,
Johann Christian Nicolaus,	Joh. Jacob Baranovski.

Ch. II.

Von der Macht und Herrschaft der Mode
reden

Dirk Bruinvisch, Carl Gottfried Egidius,
Johann Ernst Frieß, Heinrich Raschke,
Jacob Mnoch, Nathanael Friedrich From,
Abraham Grübnau, Johann Christian Silber,
Gottfried Hintz, Gottfried Lampert,
Ephraim Meyer, George Grübnau.

* * *

CHRISTIANUS JACOBUS LAURENTZ untersuchet die Frage: **Ob das natürliche auch in das sittliche und in die Mode einen Einfluß habe?**

Ch. III.

ISRAEL ALEX. UNTERBERG, so die Mode vorstellet,
setzet den
JO. CHRISTIAN ROSS, welcher ebend dieses Bild im Traum gesehen zu haben, sich erinnert, in Verwunderung, sonderlich da sie, die Mode, von

Jacob Preuss,
Jo. Wilhelm Burchard,
Martin George Schmidt,
Peter Poselger,
Gottfried Kottowski,

in zweifelhaften willkühRl. Dingen um Rath gefraget und von

Ephraim Rittersdorff,
Franc. Theod. Rhode,

als ein Oracul angegeben wird.

Ch. IV.

Von dem Unterscheid der Moden
sprechen

Ernst Holtzt, Michael Truhart,
Jacob Bünting, Johann Teschner,
Johann Nobis, Johann Jacob Meyer,
Michael Ernst von Münchhausen.

19

* * *

JO. LEONHARD WÆCHTER handelt von dem, was die Klugheit bey der Mode vermag.

Ch. V.

Den Bauer nach der Mode
stellen vor
Gottfried Arnd,
Jo. Ernst Seidler,
Jo. Dan. Stybalkowski,
George Friderich Hennings,
Martin Ephraim Schmidt,
Carl Gottlieb Kloss.

Ch. VI.

Von der Mode in der Stadt
reden
Johann Christian Kloß,
Johann Gottfried Henning,
Johann Adolph Kloß,
Johann Heinrich Wegmann,
Gottfried Kaverau,
Salomon Schönwald.

* * *

CASPAR HANFF behauptet, daß die Mode in den Städten von den Schicksahlen derselben meistens abstamme.

Ch. VII.

Der Student nach der Mode
vorgestellet von
Johann Jacob Horn,
Joh. Israel Feyerabend,
Johann Bruinvisch,
Daniel Teschner,
Carl Andreas Silber.

* * *

Ob die Wissenschaften auch ihre Moden haben?
untersuchen
JOANNES SAMUEL HEMPEL,
JOANNES HINGELBERG.

Ch. VIII.

Den reisenden Alamodist
præsentiren
GOTTLIEB THOMAS ACHENWALL,
JOANNES MELCHIOR WILDFANG,
Gottfried Hingelberg.

* * *

Von dem, was Mode ist auf den Reisen der Gelehrten,
stellen eine Unterredung an
JOANNES BENJAMIN GRUNAU,
DANIEL WILHELM CROVECKE,
MICHAEL HAHN,
CHRIST. ZACH. SKUBOWIUS,
SAMUEL LEONHARD WÆCHTER.

Ch. IX.

Von dem Mode und Parade Christenthum
reden
Johann Jacob Rittersdorff,
Jacob Härtel.

* * *

Endlich moralisiren über die Mode
GEORGIUS SAMUEL ROGGE,
JO. GOTTHELF SEIDLER.

Der Nachredner.

JOANNES JAC. KINTZEL dancket den resp. Höchst- und Hochgeneigten Anwesenden für geduldiges Gehör und schlüsset mit einem wohlgemeinten Wunsch.

* * *